

DE OFFICIO FI-
DELIS ET PRVDENTIS
MAGISTRATVS, TEMPORE
pestilentiaë Rempub. à con-
tagio præseruandi,
liberandique.

LIBER II.

*De his in quorum aedes irru-
perit pestis.*

CAPVT I.



BSOLVTA ea parte, quæ
magis eos, qui adhuc sani
sunt, quàm ægrotos attinet,
ac proinde περιουλακτικὴ
quædam publica dici potest,
restat, vt elegantium medi-
corum consuetudinē & me-
thodum imitati, eodem modo de pharmaceu-
tica, hoc est, de ratione curandi & liberandi di-
camus: si fortè vel ex Deo immediatè, vel aliade
causa ædes alicuius immanis hæc lues, & trucu-
lentus draco (vt Galenuseam vocat) inuasferit.

Neque tamen singularia priuato cuique remedia præscribenda quis hîc expectet: sed id quod publico fidelis & prudentis Magistratus officio in hac re fieri debet: vt generali via inuenta, cōstitutâque, quatum ægrorum, tum eorum qui cum ægris versantur, ratio habeatur, citius vniuersum contagium extinguatur, & minus damni ciuitati inferat.

Præsentî ergo, & infestanti eiusmodi malo, in priori quidem specie ad Deum solum confugiendum esse, ab eoque omnem culpam deprecandam, ab initio diximus: in posterioribus verò post Dei inuocationem illud primò omnium ac statim conseruatores curabunt, vt domus illa contaminata certis signis, vt expositis ad fores tædis, quæ gentium more mortuis præferri solent, vel fustibus, qui punishmentem, vel fasciis stramineis, vel nigro, albo rubròve suspenso velo morbum mortemve designantibus, notetur: simulque edicatur toti familiæ, ne egredi ad alios, neque quenquam ad se admittere audent, ad minimum sex vel septem hebdomadarum spatio, siquidem interea sufficietem expiationem, quæ infrâ distinctè tradetur, adhibuerint. Quod si quis sua sponte ad hos ingressus fuerit, eodem edicto tenebitur, sed tempore breuiori. Interim si quid habebunt, quod foris agant, per alios fieri curabunt. Maiorem enim totius societatis, quàm priuatæ familiæ rationem habere fas est.

Obiectio.

Quod si aliquis iniquum & durum esse existimet,

stimet, homines sanos tam arctè, ac tanto temporis spatio includi, præsertim in ædibus ab illa lethifera venenositate occupatis, magisque conducere his quoque putet illud prouerbiale tripharmacum, citò, longè, tardè: denique neque agris ipsis consultum esse, præsertim si habitatio minùs sit còmoda, ita conclusos manere, ac non interdum liberiori aere frui (non omnes enim lecto decumbunt:) hæc sanè qui dicunt, neque *Responsio.* nihil, neque omnia dicere videntur. Nam & ipse minimè tutum esse arbitror, infectorū consuetudine frequenter vti, ac aerem inquinatum assiduè haurire. Ergo quibus rationibus hisce angustiiis incòmoditatibusque remedia inueniamus, quæ dum nemini nocere possint, multis valde profutura sint, sequèti capite dispiciemus: liberam enim potestatem iis concedi inter alios conuersandi, nimis temerarium ac barbarum fuerit, & ferè, quod Lutherus in hac quoque causa dicit, illos imitari videremur, qui pediculos in pelles, aut muscas in cubile immittere, vel ignè in sinu fouere velint, nisi quòd hæc leuiora sunt, quàm vt cum hoc malo còferre possint. Et cùm manifestè deprehendamus, vnicam hanc *ἀταξίαν* ferè in causa esse, quòd contagium plerūque tam celeriter, tam longè latèque spargatur, non est villo modo committendum, vt nostra culpa & negligentia ipsi vulnera nostra augeamus. Non quòd negem, pèstem aliquando communis aeris putrefactione existere (quod rarū

tamen est, & multis senio cōfectis inexpertum) ac statim quàm plurimos, sparsimq; sine contagio apprehendere: neque etiam quòd ignorem, iratum nostris peccatis Deum hoc flagello interdum aduersum nos vti, & ad vitæ emendationem cogere, suiq; obseruantia nos admone- re (hoc enim profanis simul & sacris historiis cōstat) non, inquam, istud inficior, neque hîc humana remedia multum prodesse affirmo, sed hæc rariùs accidere sperandum est, & cùm accidunt, satis euidenter & peculiaribus signis se produnt. Quemadmodum de AEthiopia constat testimonio Thucydidis: item quum Deus puniuit exercitum Maximini, persequentis Christianos, tanta morientium multitudine, vt inhumata corpora passim relinquerentur. Quod & de copiis Dauidis refert historia regum. Quis hæc velit diffiteri? Sed iterum repeto, rarò hæc videntur, & nostrati pestilentia parum conueniunt, cuius initium, causam, progressumque, quoniam plerunque satis euidenter possumus deducere, ob id tantò maiorem diligentiam ac curam adhibere debemus, vt quod nostro vitio & culpa mali nobis accersuimus, aut ignauia admisimus, pari quoque studio atque industria corrigamus & profligemus.

2 Reg. 24.
Eccles. hist.
9. cap. 9.

Quamobrem, cùm iam ita domus illa notata, & quasi lepræ contagiosæ damnata fuerit, domestici vel sponte sua, priuatòque sumtu, si soluendo sunt: vel conseruatorum hortatu ac impensis,

penſis, ſi inopes, medicorum ad id conſtitutorū
 auxilium ilico adſciſcent, fuſisq; ad Deum preci. *Eccleſ. 38.*
 bus, non grauatè, ſed hilariter ac bona ſpe in o- ^{39.}
 mnibus, quibus opus erit, admittent. Creden-
 dum enim, quod boni in ea re largiturus eſt Do-
 minus, id plerunque per medicos, tanquam mi-
 niſtros ſuos dare, haud ſecus quàm paterfami- *Leuin. 16.*
 liàs ſolet cibum potumque per architriclinos fa- *de lib. bibl.*
 milia ſuæ, largiri & distribuere. Medici enim & *cap. 1.*
 medicina Dei miniſtri ac creaturæ bonæ ſunt, *Sapient. 8.*
 quibus, iubente Apoſtolo, cum gratiarum actio. *cap. 2.*
 ne vtendum eſt. Quam cauſam liceat mihi bona
 lectoris venia, propter quorundam imperitorū
 iniquum iudicium paulò fuſius (etſi extra cau-
 ſam) hîc tractare.

In primis enim Ieſus Syrach, inter Hebræos *De ſu &*
 vir pietate, prudentia, & rerū cognitione, deniq; *laude me-*
 diuino Spiritu inſigniter præditus, ſic ſcriptum *dicina.*
 reliquit: Honora medicum, nam propter neceſ- *38. 39. cap.*
 ſitatem creauit illum Dominus. Medicina ab Al- *Exod. 20.*
 tiſſimo eſt, & à rege accipiet munera. Dominus
 è terra creauit medicamēta, & vir prudens non
 contemnit ea. Da locū medico, Dominus enim *Hipp. li. de*
 illum creauit, hæc Syrach. Quid, obſecro, hîc *Veteri*
 ſibi vult ingeminata illa, ac ſæpiùs repetita vox *medic.*
 creationis, quid origo & commendatio, niſi vt
 Dei muntis eſſe medicum & medicinam intelli-
 gamus, quoq; non liceat modò, ſed deceat etiam
 vt, dum opus eſt, & neceſſitas requirit? Illos ve-
 rò imperitos eſſe, & cōſilij Dei admodum igna-

ros & stupidos, qui superuacaneam medicinam iudicant & inutilem, cū haud dubiè humano generi sanitatis conseruandæ & reparandæ gratia diuinitus data sit. Hinc & gentes agnouerunt eius præstantiam, dum ipsius inuentorem non hominem, sed Deum fuisse scribunt. Apollinem enim, quem autorē eius faciunt, pro Deo coluerunt: & Aesculapium filium Apollinis, qui eam paulò subtiliùs excoluit, propter insignem eo tempore artis peritiā, simili honore dignatæ sunt. Homerus verò etsi originis non meminit, pulcherrimo tamen elogio nobilitare non dubitat, dum inquit:

Scrib. Lar. de compos. med. Polydor. de rerum inuentorib. 1. cap 20. Cornel. Cels. lib. 1.

Ἦν τὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξεος ἄλλων, id est,
Vir medicus multos virtutibus anteit vnus.

Lib. nat. hist. 29. ca. 1.

Quod agnoscentes veteres Romani Imperatores, medicis in singulos annos amplissimum stipendium, ducenta & quinquaginta sestertia (vt refert Plinius) pendebant, cū reliquarum artium Professoribus centena tantū numerarent: quamuis temporibus consequentibus, rursus lege lata ex vrbe fuerint proscripti. Quod propter quorūdam imperitorum audaciā, qui medicina abutebātur, sancitum est. Homines enim auari, magna spe lucri accensi, & excæcati præcipites sæpe ferūtur ad quidlibet audendū, & aliquando non abstinēt ab eo quod nefas sit narrare. Qui neque Hippocratici iuramenti, neque honoris aut salutis suæ & aliorū memores, tāquam latrones grassantur, vbi liberè illis ver-
fari

sari licet. Nos verò qui luce Euangelij illustrati, res singulas non abusu, sed legitimo vsu æstimare debemus, medicina ita vtimur, vt agnoscamus non humano consilio, sed diuino beneficio vitæ prorogandæ, quoad externa præsidia, esse propositam. Grauißima & piissima est censura, & huic nostro negotio apposita doctrina Lutheri in libello Germanicè, anno 1527 de peste VVitebergenfi edito: Deus (ait) creauit medicinam, ac donauit mentem, vt quisque sui corporis curam haberet, valeret ac viueret. Quicumq; his vti non vult, quando citra proximi damnum potest, is prodit propriam vitam, & parum abest quin homicida coram Deo efficiatur. Eadem enim ratione cibum & potum, vestitum & domicilium contemserit, & nimium fidens suæ fidei, dixerit, Si Deus vult, potest me sine hisce omnibus conseruare. Quo absurdo illud adhuc grauius est, quòd qui ad hunc modum corporis sui curam abiicit, neq; pestilentia remedium, quod potest, quærere vult, etiam aliis hac negligentia sua officere & intoxicare potest, qui fortè, si hic sibi consuli passus fuisset, illæsi & viui permansissent. Quo fit, vt interitus alieni culpam sibi accersat, & Deo homicidium committat. Eiusmodi homines reuerà non aliter agunt, quàm si quis igne flagranti ciuitati nolit subsidio venire, sed incendio det locum, vt vniuersa vrbs consumatur, hac scilicet fiducia: Si quidem Deus vult, potest absque aqua ignem extinguere. Haud

quaquam ita agendum, amice, imò turpe & iniquum est, quod tibi persuades: quin potius medicamentis vtere, facitòque quicquid quoquo modo potest auxiliari, suffumiga domum, hortum & plateam, fuge loca funesta, hominésque infectos, vbi tua opera non requiritur, ac ita te gere, vt qui publicum incendium non fouere, sed restinguere velit &c. Nam quæ sequuntur, etsi sint eleganter dicta, tamen hoc tempore prudens omitto.

Faceſſat ergo iſtæ c̃ plus quàm barbarica opinio & Cyclopica obſtinatia, qua plerique medicinam velut ſuperuacaneam, vel artem ſolùm *ἡγεμονιστικὴν*, vt & reliquas omnes liberales diſciplinas, ac ipſam quoque philoſophiam, tanquam *σοφιστικὴν τινὰ* (quod & Plato aliquando non rerum, ſed perſonarum profitentium culpa facit) appellant, infamantque.

Eſa. 38.

2. paral. 16.

Obiectio.

Epistol. ad

Ephes.

Theodor.

dialog. 1.

Quòd ſi verò quis dicat: Sitam neceſſarius, &, vt ais, diuinus vſus eſt tuæ medicinæ, cur ipſus ille Syrach, quem citaſti, in eodẽ abs te adducto loco, ægrotos ad Deum iubet ire, & ſanitatẽ precibus flagitare? Cur S. Ignatius piſſimus epiſcopus & martyr, vnum Chriſtum medicum carnalem & ſpiritualem, atque in morte etiam (taceo in morbo) veram vitam appellat? Sed ſuggeram etiã ipſe aduerſariis telum, quod non exigui apud me momenti eſt: Cùm ex Italia abirem, vir inſignis Sebaſtianus Laudus, medicinæ Profeſſor Patauinus, & meus præceptor, (quem

(quem honoris causa nomino) pro perpetua sue
in me fidei memoria, libro meo sua manu inscri-
psit: Memento solum Deum curare morbos. Si
igitur solus Deus, quid opus est aliis? an Deus
subsidiariis ministris eget? Si Christus vnicus
medicus, qui languores nostros aufert, vt testis
est Propheta, & vt ipse tot exemplis testatus est
in nouo suo Testamento, quē requiramus præ-
terea? Frustrà certè fit per plura, quod per pau-
ciora fieri potest. Et huius quidē sententiæ per-
multi etiam inter Christianos reperiuntur, Eu-
chitis antiquis hæreticis non dissimiles. Sed
respondeo: Etsi Deum nullius auxilio egere, sed
potius vnicum & verum medicum tam corpo-
ris, quàm animæ esse, ab illóq; omnem sanitatē
pendere, & petendam esse fateamur: tamen ni-
hil obstat, quò minùs Dominus & magister fa-
mulis suis multa commendet, pèrque ipsos a-
gat, quæ vult: sicut & quilibet artifex instrumē-
tis vtitur, quibus tamen effecti operis laus pro-
priè non debetur, neque ascribitur. Et dixi an-
tè, rogari Deum velle à nobis, & sine mediis sæ-
pe nihil velle dare, quæ media in hunc finem cō-
didit, vt iis ad nostram vtilitatem vteremur:
quemadmodum & Christus ipse, & sancti Dei
homines, quando consequi potuerunt (alioqui
gratia & potentia Dei non est illis alligata) iis vti
sunt, & vti consueuerunt. Quamobrem, quòd
hi vnum Deum morbos curare asserunt, ad prin-
cipem causam referendum est, quæ est Deus, nō

Esa. 38.

4 Reg. 20.

Tob. 6. 11.

3 Reg. 4.

8 Ioseph. 2.

*Sacramē-
ta & medi-
camenta
media
sunt.*

*Theod. 2.
fabul. ha-
ret.*

ad instrumentariam, ut sunt homines. Syrach autem cum initio illa ipsa instrumenta & media tanquam divina & salutaria media celebrasset, ne quis istis nimium forte confusus velut principalibus causis adhæreret, ac Dei obliuisceretur, in fine capitis, quasi iam in usu earum rerum nos admonet, ut Deum toto opere nostro præ oculis habeamus, ipsum precibus sollicitemus, ac prosperum successum ab eo postulemus. Ac si diceret, medicina quidem præclara & divina res est, sed absque virtute & gratia Dei (quæ virtus solis precibus impetratur) non edit felicem profectum. Quæ mens haud dubie quoque fuit illius, licet profani medici, Herophili, quando ait, medicinam & nihil esse, & rursus manum Dei esse: nihil (inquam) ut ego quidem intelligo, per se ipsam: manum verò Dei, cum gratia & efficacia Dei coniunctam, & tempestive, recteque usurpatam. Quo quidem mea opinione nihil rectius Christianiusque potest dici. Atque idem, si magna cum parvis licet componere, de mediis illis, quæ ad animæ salutem, ut hæc ad corporis valetudinem, proposita nobis sunt à Christo, dicere possumus. Tametsi quidam, qui cornicum oculos configere, vel Ioui ignem à cælo suffurari se posse putant, horum quoque dignitatem valde & impie extenuare solent, quum tamen magno conatu nihil aliud quam abusum & vtentium vitia proferant, solumque foetorem Astroductorum & Messalianorum prodant.

Verum

Verum ne quis me propriæ causæ seruire putet, dum tam accuratè pro medicina perorantè audit, non prosequar amplius rei per se satis laudatæ encomiū, sed vnum adhuc præsentī capiti articulū adiungam, valde, meo iudicio, in hac causa necessarium. Quærat enim aliquis, quoniam tam studiosè vitandam omnem pestiferorum consuetudinem suadeo, quā nam ergo cum illis mulierculis, quæ in hisce infecti ædibus sen sanæ, seu ægræ parturiunt (quod equidem compluribus euenisse, quæq; magna ex parte mortuæ sunt, viuis testis esse possum) agendum censeam? Illæne à vicinis destitui debent? Quæ similis inhumanitas post hominum memoriam vnamquam sit audita? Hic duplici responso opus est. Primum si quæ volunt non temeritate, sed charitate & amore Christiano ductæ (quem certè *Ecccl. 3.4.7.* *Rom. 12.13.* mutuum nobis debemus) accedere, id ita fiat, vt postea non imprudenter mox ad familiam suam redeant, nisi mutatis vestibus, & ad cōstituti temporis spatium saltem ab alienorum consuetudine abstineant. Secundò quòd magis spectat ad institutum nostrum publicum, volo cōseruatores nostros hic quoque rationē certam tenere, vt obstetrices & alias honestiores paulò fœminas, in primis verò vxores ministrorum Ecclesiæ, chirurgorum, pharmacopæorum, medicorum, ac eorum quoque, quos mortuis effrendis, sepeliendisq; præficimus, si quæ idoneæ sint, & id facere voluerint, conductas habeant,